

Bibliothèque numérique

medic@

**Petibeau, Joseph - candidat / Chopart,
François - président. - De meatûs
auditorii et tympani vitiis**

1778.

***Paris : Typis Michaelis Lambert,
Regii Chirurgiae Collegii
necnon Academiae Typographi,
viâ Cithareâ,***

Cote : ms 2344, n°38



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x03x0038](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x03x0038)



D. D. PHILIPPO-GUILLELMO
— *BOULLONGNE*
DE PRENINVILLE,
EQUITI,
DOMINO DE MAGNANVILLE, &c.
ÆTERNUM GRATI ANIMI MONUMENTUM
D. V. C.
— *JOSEPHUS PETIBEAU,*





D. B. PHILIPPO GUILLEMO
BOULLONNE
DE PRENINVILLE
E. Q. V. I. I.
DOMINO DE MAGNANVILLE
ATERNUM GRATI ANNI NOVEMBER
D. V. C.
JOSEPHUS P. TIBER

D E
MEATÛS AUDITORII
E T
TYMPANI VITIIS.

T H E S E S

ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ,

QUAS, Deo juvante, & Præside M. FRANCISCO CHOPART,
Academia Regia Chirurgia Socio & in Scholâ - Præticâ Pro-
fessore, tueri conabitur JOSEPHUS PETIBEAU, Turonensis,
Artium Liberalium in almâ Universitate Parisensi Magister,
Theseos auctor.

Die Sabbati quintâ mensis Septembris, anno salutis 1778,
à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.

PARISIIS,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS;
PRO ACTU PUBLICO

ET
MAGISTERII LAUREA.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ Collegii
necnon Academiae Typographi, viâ Cithareâ.

M. DCC. LXXVIII,



D E

MEATÛS AUDITORII

E T

TYMPANI VITIIS.

T H E S E S

ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

QUOD varias aeris vibrationes, collisis inter se corporibus; excipit; cujus ope felix sonorum concordia mentem adeò dulci, blandâque voluptate permulcet; quodque, deficientibus oculis, gratam nec prorsùs insufficientem præstare solet operam, Organum differendo attingemus. Hoc autem multiplici morborum genere vexatur: verùm de quibusdam Meatûs Auditorii Tympanique vitiis, brevi præmissâ Auris Anatome, hîc tantùmmodò dicere animus est.

Auditûs Organum in tres quasi regiones diducitur : exterior , Auriculam , Meatumque Auditorium ; media , Tympanum ; interior verò Labyrinthum comprehendit.

Auricula omnium oculis obvia , ossi temporum musculis & ligamenti annexa , & cartilagine constructa mobili , eminentiis foveisque variatim denominatis tum elevatâ , cum depressâ , in illam abit mollem appendiculam , lobum Auriculæ dictam , cui committuntur ornamenta.

Meatus Auditorius partim cartilagineus , partim osseus , à coarctatione Conchæ incipiens , in medio angustior , ad usque Tympani membranam per os temporum obliquè & antrorsum progreditur. Qui quidem membranâ investitur quam cutis vera constituit , acerrimi sensûs , ad medium usque Meatum parvis obumbrata pilis atque plurimis pervia foraminibus per quæ cerumen & telæ cellulosæ glandulis in Meatus cavum effunditur. Hæc verò cutis etiam epidermide velata introrsum gracilescit atque super Tympani membranam reflectitur.

Cavea osse petroso insculpta , utcumque ferè rotunda , in fœtu aquâ viscosâ atque rubellâ , in Adulto verò aere & muco plena , quæ supernè hujus ossis squammâ tegitur , & intus Labyrintho , posteriusque mastoïdeo processui adjacet , Tympanum nominatur. Anterior autem in eo patet ossea tuba ; exterius verò per membranam exactè clauditur : quæ quidem in universum ovalis , obliquè & antrorsum descendens , introrsum convexa , nullo foramine naturaliter pervia & quatuor laminis distincta , eodem quo Tympanum nomine nuncupatur. In Tympani cavo trabeculis atque cavernulis aspero , cui necnon peristomium vasculis pictum undiquè velamen præstat , occurrunt ossicula ligamenti firmata ; nimirum malleus , musculus membranæ Tympani tensore & laxatore motus , incus & subrotundum ossiculum quæ superiorem & anteriorem sedem tenent ; dum verò internam mediamque , & stapes cujus capitulum musculus stapedius inseritur , & ovalis fenestra per hujus ossis basim

præclusa : promontorium etiam videtur in posteriori inferiorique parte ; in imâ verò rotunda fenestra per membranam ex toto clausa : sicque tandem oculis patent chorda Tympani , seu nerveus ramulus transversè inter malleum & incudem excurrentes ; sinuositas mastoïdea vel antrum quoddam cum variis mastoïdei processibus cellulis communicans & membranâ mucosâ obductum ; tuba demùm Eustachiana è Tympano patens ad fauces , juxta Meatum narium inferiorem , & ex parte ossèâ , membranaceâ atque cartilagineâ constans ; quâ quidem viâ , aer inter inspirandum Tympanum subit , sicque mucus tùm pondere suo , tùm inter expirandum vel per sternutationem manat aut abripitur.

Labyrinthus quòd in plures circulos convolvatur , 1°. in mediâ sui sede vestibulum habet , seu cavum irregulare ponè fenestram ovalem conspicuum , per septum membranaceum bipartitum , & in quo multa patent ostia : 2°. Tres canales in semi-circulum inflexos & ad externum vestibuli latus positos , quorum duo verticales , tertius verò horizontalis : 3°. Cochleam hisce canalibus , è directo , inferiori tamen situ , oppositam , cujus basis numerosis pervia foraminibus , ad canalem nervorum acusticorum spectat , quæque gyris duobus cum dimidio tertio conjunctis circa modiolum circumfleitur , ex quo prodit lamina spiralis transversa , quæ in scalam Vestibuli & scalam Tympani Cochleam bipartitur.

Arterias habet Auditûs Organum , tùm à carotide externâ , quæ ramos ad Auriculam Meatumque auditorium edit plurimos , exiguosque ad Tympani cavum & cellulas mastoïdeas ; tùm à carotide internâ & basilari arteriâ cujus major truncus cum molli nervo finem subit auditorium atque Labyrinthum adit. Venas autem nanciscitur à jugularium ramis. Tandem nervos obtinet à septimi paris geminâ portione , unâ duriori quæ ad Tympanum ramum & tenuissima emittit filamenta & per Styloïdæum foramen cranio elucatur ; alterâ molliori , quæ in plures ramos divisa , Cochleæ basin subit atque in omnes spargitur Labyrinthi gyros ; qui verò ad ex-

timam Auris regionem tendunt, & à durâ portione, & à quinti tertiique ejus rami propagine & à secundo tertioque cervicalium pare nascuntur.

Aquilâ in Fœtu rubellâ, in Adulto lympidâ, lymphaticâ indolis, & instar liquoris aquei oculi, à subtilissimis vasculis exudante, omni ex parte repleti Labyrinthum, per observationes, experimentaque Anatomica compluries repetita demonstratur. Nullum ipsi inesse aerem nunc manifestò compertum est. Humor autem ille duo habet diverticula Labyrinthi cavo continua, per quæ extrâ illum aquilâ portio eliminari & novo accedenti liquori locum cedere potest; unum scilicet in Vestibulo, alterum verò in Cochleâ; utrique nomen aquæ-ductûs accessit. Vestibuli aquæductus ab ejus posteriori superiori que parte, angusto valdè initio, ortum ducit supra communem canalem in quem coeunt illi semi-circulares canales perpendiculares; dein retrorsum atque extrorsum per duram crassamque ossis substantiam ascendit; tandem descendit & sensim dilatatur cornu compressi in modum, donec per rimam in superficie petræ posteriori obliquè positam, cavulum quoddam membranaceum adeat, aquilâ receptaculum dictum, quod durâ matre obducitur, & conicum, politissimum & angustius est, quâ rimam subit; latius verò & septulis insignitum, quâ vasis lymphaticis in lateralem duræ matris sinum terminatur. Aquæ-ductus autem Cochleæ rotundam ponè fenestram in Tympani scalâ initium habet; exindè attenuatur, sub canali nervorum communi introrsum prius, dein versùs inferiora & posteriora tendit atque gradatim tubæ ad instar amplior factus, ponè lunatam lamellulam osseam, sub foramine acustico interno, & à margine hujus ossis posteriori & inferiori prominulam, inter venæ Jugularis foveam & petræ apicis partem asperam, triangulari extremo nudè aperitur.

Absolutâ jam Auris intimæ partium expositione, Auditûs mechanisum breviter adumbremus. Tremulos aeris ambeuntis motus recipit Auris cartilaginea, iisque in unum colligendis in-

fervit

fervit præsertim Meatus auditorius : collecti radii sonori membranam Tympani feriunt ; quo fit ut alligatus ei malleus necessario unà moveatur : quod quidem ossiculum tam membranâ tremente quàm suis musculis commotum , junctam sibi incudem percutit , quæ motum vicissim , intercedente lenticulari osse , Stapedi tradit : hic insuper musculo suo ità trahitur , ut baseos posterior pars in vestibuli cavum sese immergat : eodem tempore aeris externi motus per membranæ Tympani tremores communicatur aeri per tubam Eustachianam in Tympanum delato atque intrâ ipsum hospitanti ; quiquidem tremendo prætensam percutit fenestræ rotundæ membranam exiguanque ligamenti particulam , quod stapedis basim cum fenestræ ovalis orâ ligat ; atque etiam sub quâvis aeris externi tremulâ commotione tremunt totius Labyrinthi parietes. Sicque mota & impulsæ hujusce partis aquula in omnes ejus mæandros circumferitur ; impingensque in nerveam pulpam , hisce partibus medullaribus quamcumque ipsa patitur mutationem exactè tradit , & ità propagatur motus tremulus à sentientibus partibus in illum Encephali locum ad quem nervi mollis truncus terminatur.

Accidit aliquandò , ut Auris Meatus membranaceâ quâdam substantiâ præcludatur : quæ quidem vel ab ipsâ nativitate , vel seriùs ex surditate atque loquelæ nimirum defectu animadvertitur. Quod ubi incidit , specillo tentandum est , altè ne , an in summo tantùm sedeat aut protendatur illa membrana. Si enim in summo est , specillum protinùs recipit , & facilè curatur illam decussatim incidendo , deinceps turundam eò immittendo quoad necesse videtur. Ubi verò altiùs atque juxta ipsam Tympani membranam adhæret tunica illa noxia , prementi non cedit , dignosciturque etiam Auris foramine diducto , radiis que objecto solaribus : sed anceps est atque difficilis curatio ; tentanda tamen causticis solidis , putà caustico lunari. Verùm quandò Meatus vel ex Naturæ vitio , vel ex aliâ causâ deest , aut parietes ejus ferè ex toto sunt glutinati , aliundèque osse rectè configurato ; juxta tragum , vel

quâ cavum esse debet, acu candente aperiendum aut potius anticipiti scalpello paulatim incidendum; cùmque id patefactum, injicienda eò pinna est, illita medicamento cicatricem inducente. Angustioris Meatûs vitium, si ab ossè pendeat, curationi impervium est; si verò à nimîâ mollium partium spissitudine, dilatantibus gradatim auctis volumine, cedere poterit.

Auris Meatum nonnunquàm subeunt corpora vel mollia, vel dura, aut etiam animalcula: quæquidem cognita non ex ipsius tantùm ægri relatione, sed & vel maximè ex Auris inspectione vel per specilla exploratione, quàm diligentissimè protinùs extrahi debent. Si substantiæ molles aut spongiosæ, pisum putà vel faba, in aurem fortè inciderint, sæpè sæpiùs ab humoribus nimis adeò intumescunt, ut nec apprehendi nec educi queant: tùm minutim illæ dividendæ & protrahendæ. Infecta verò quæ molestâ prurigine & titillatione ægrum cruciant, irretit lana in Aures demissa, agglutinat terebinthina, suffocat oleum, & eximit aurisclarium. Si calculus aliudve quidquam durum intus est, primùm oleo inungatur Meatus, mox autem hamulo retuso, paulùm recurvato & per infimam hujusce canalis partem cautè demisso protrahatur.

Interdùm nimia ceruminis copîa & spissitudo surdaestros facit, furdosque; tunc, injectâ aquâ tepidâ purâ vel leviter saponeâ, dilutus humor faciliùs diffluit, vel aurisclario ejicitur: qui si fortè lapidescat, non secus ac solidum corpus impugnari debet. In ipsis etiam glandibus coit humor ille congestus, vel propter frigus, vel propter innatam sibi viscositatem; quibus obstructis, Meatûs parietes intumescunt, comprimuntur nervi, hinc dolor, inflammatio, &c. Morbo si frigus causam dederit, xilum aut lana, aut panis calidus, aut vapor plantarum aromaticarum; si verò viscositas, diluentia adhibeantur.

Non rarò per infantium & adutorum Aures serosa aut purulenta stillat materies vel nimîâ ceruminosi liquoris copîa, vel humore quolibet hâc in parte deposito producta; quod in criticis

febris quandoque accidit, & Naturæ viribus, ut heterogeneous, eliminatur. Illud ergo profluvium cohibere summa imprudentia est; major tantum humoris acrimonia lenientibus temperetur.

In ipso Meatu excrecentes carnes sive Polypi aceto simplici, ligaturâ, butyro antimonii, igne, ferro destruuntur, & pro basi, volumine variisque accidentibus hasce varias admittunt curandi rationes. Ferri candentis & caustici temperandus est effectus ope fistulæ, absorpto prius humido, ne illud majorem propositâ partem adurat.

Tympani membranâ pertusâ aut ruptâ, Auditus non destruitur: quodquidem demonstratur per Valsalvæ experimenta in canibus facta, ex quibus liquet etiam hujusce membranæ vulnera ita consolidari posse, ut eorum ne vestigium quidem supersit: In hominibus haud absimilia exstant exempla; sic v. g. Auditus cuidam restituitur, qui, auriscalpio in Aurē inopinatè fortius intruso, hanc membranam distupit, altero cui gladio læsa fuerat, tertio demum cui ulcere fuerat perforata. Etenim Auditus deficere non debet, cum præter eam membranam alia simul gravissimè non læsa sunt, præsertim verò Labyrinthus qui immediatum Auditûs organum habetur. At verò in hominibus læsionem illam summa ut plurimum comitantur incommoda, nimirum acerrimus dolor, delirium, motus convulsivi in facie, febris, inflammatio, suppuratio, obtusus gravisque Auditus, sed ad tempus superstes, &c.; quæquidem antispasmodicis, lactis muliebris injectionibus in Aurē, &c. debellantur.

Obturari potest tuba Eustachiana vel muco spissato, vel incrementibus, illius glandulis, vel coalitis post exulcerationem parietibus vel palato intumescēte, vel polypo in dies crescente: haud etiam rarè irritata tubæ membrana afficitur inflammatione; quæ verò nisi resolvatur, ad Aurē internam progressa, auditûs officulis mastoïdeisque cellulis suppurationem, cariemve secum importat, immò intimam ipsam calvariam sæviùs adoritur. Sufurris autem,

rinnitibus, doloris fede, faucium vitiis, furditate & cæterarum Auris partium incolumitate dignosci potest ista lues; ægrè verò curatur eò quòd altissimè lateat, vixque pervia sit remediis vel sub suffituum formâ adhibitis. Quidam surditatem, obstructâ à mucò tubâ, curare docent specillo in eam inserto & injectâ aquâ mellitâ. Hanc autem specilli intromissionem, in cadavere haud perdifficilem, recusare videtur partium sensilitas; sicque ex liquoribus in Tympani cavum impulsis quot gravia pertimescenda sunt accidentia.

Ubi verò resolutioni impar Auris vicinarumve partium inflammatio in suppurationem abiit, coalescunt abscessus vel juxta mastoïdeum processum, vel in Auris aliquo cavulo, erumpere soliti signis distinctè propriis; quosque pro mali variâ fede, aut peculiari naturâ plùs minùsve gravia comitantur accidentia. In Meatu faciliùs curantur; sin ad processum mastoïdeum tendunt, eum carie infestant, abeuntque in ulcera eo sanatu haud faciliora, quo altius tabes fuerit grassata & à vitiatis humoribus ortum acceperit. Hic quamprimùm ferro causticove laceffatur abscessus, auferaturque caries vel aquâ mercuriali, vel quâlibet tincturâ spirituosâ, vel potiùs ferro candente. Nonnunquàm superest ulcus fistulosum; unde fluit interdùm fanies; quo quidem effluvio vel imminuto, vel omninò cessante, caput doloribus laborat, redeunte verò fugiunt dolores: illud ergò sistere nefas.

Quandò autem post ictum aut gravem morbum in Aure internâ vel in cranio versantur apostemata, ossiculis, Tympano, Labyrinthoque carie denudatis, atque destructâ Tympani membranâ. Auditus aboletur. Quid igitur præstandum? Adhibendæ injectiones primùm quidem lenientes, mox deterisivæ quantum per mali statum licet, in Nuchâ aut in Brachio fonticuli excitandi, cæteraque Naturæ permittenda.

F I N I S.



